

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4095

Auteur(s) : Alix, Eu (comtesse)

Bénéficiaire(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1219, août

Lieu d'émission : Melun

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Alix, comtesse d'Eu, notifie un accord conclu entre elle et Philippe [II], roi de France. Elle reçoit le comté d'Eu avec ce que son mari possédait à Roumare ; elle abandonne ses droits à Neufchâtel, Mortemer et Arques.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 276, p. 41 et p. 304-305.

Texte établi d'après a

Ego Aelidis, comitissa Augi, notum facio universis, presentibus pariter et futuris, quod ego cum karissimo domino meo Philippo, Dei gratia, illustri Francorum rege, sua gracia, finem feci de comitatu Augi in hunc modum: videlicet quod dominus rex michi reddidit comitatum Augi, salvo sibi placito ensis et judeis suis, et salvis aliis justiciis et servitiis et jure que comitatus Augi debet domino Normannie, sicut pater meus et antecessores ejus ea fecerunt et reddiderunt Henrico et Richardo, quondam regibus Anglie, et antecessoribus eorum, ita quod ego in Driencort et ejus pertinentiis, tam in feodo quam domanio de Driencurt, nichil reclamabo nec heredes mei, nec ego nec heredes mei aliquid reclamabimus in Mortuomari, nec in ejus pertinentiis, nec in haya, nec in nemoribus, nec in feodis, nec dominiis, nec aliis ad Mortuum mare pertinentibus, sicut dominus rex inde est saisis et tenens, nec in Archiiis, nec in aliquo quod ad Archias pertineat. Preterea dominus rex reddidit michi id quod comes Augi, quondam maritus meus, tenebat de terra de Romare, quando ivit ad Johannem, quondam regem Anglie, salva domino regi Francorum foresta de Romare et Novo mercato in quibus nichil reclamo, et salvo domino regi placito ensis et aliis justiciis et servitiis et jure, sicut debentur domino Normannie, et salvo jure alieno. Et sciendum quod dominus rex sibi retinet feodum de Bulli, quod Robertus de Mellevilla tenet de eo in balliva Novi Castri de Driencurt. Ego autem faciam domino regi securitatem, per me et homines meos, quod me non maritabo nisi per eum, et dominus rex me non efforciabit de me maritanda. Nec ego nec heredes mei firmabimus nec infortiabimus fortericias aliquas a puncto in quo sunt modo nisi per dominum regem, et de hoc faciam domino regi securitatem per me et homines meos. Propter hec autem facienda, teneor dare domino regi quindecim milia marcas argenti ad pondus Trecense reddendas, videlicet quinque milia marcas in instanti festo Assumptionis beate Marie, et quinque milia marcas in sequenti festo Omnium Sanctorum, et duo milia et quingentas marcas in sequenti Pascha, et duo milia et quingentas marcas in sequenti festo sancti Remigii, et de hoc bonam domino regi dare teneor securitatem. Et sciendum quod Gaufridus de Capella, ex parte domini regis, et Robertus de Mellevilla, ex parte mea, recipient omnes redditus et

proventus comitatus Augi ad me pertinentes, ita quod illi redditus et proventus computabuntur in solutionem debiti
mei supradicti. Actum Meleduni, anno Domini M^o CC^o nono decimo, mense augusto.